



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 7. Arx Boni-aëris fundatur, & infeliciter cum Barbaris pugnatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

mediā temperie gaudere; vastissima Paranæ littora innumeris populis ad servitium idoneis habitari; pīcationem, venationemque multò quām in quavis Europæ parte esse magis variam; & super hac ostenderet auri argenteique frusta, & multa ex his metallis instrumenta ab Paraquariensibus Alexii intersectoribus redempta, quæ falsò hujus fluminis civitas arbitrabatur, ita Hispanorum animi permoti sunt, ut plerique in eam provinciam mitti ambirent. Exinde certè Parana ab Gavoti argento aut argenti spē fluvius Argenteus specioso magis quām veridico nomine dicitur appellatus. Eadem Gravotus Carolo Quinto Cæsari cùm retulisset, Senatus-consultum habitum est, decretumque ut numerosa colonia in eam Americæ partem duceretur. Delectu habito, duo millia supra ducentos, præter nauticam turbam, duce Petro Mendoça primariæ nobilitatis viro, Cæsaris dapifero, fluminis Argentei & Paraquarii prætoriam potestatem adepto, quatuordecim navibus imponuntur: quos inter eminebant (nam Hispana nobilitas in spē Argenti exarserat) Didacus Mendoça prætoris frater, Franciscus Mendoça Maximiliani Romanorum Regis quondam oeconomus, Carolus Dubritius Caroli Quinti Cæsaris collactaneus, Joannes Oforius classis legatus, sanguine & bello Italico clarus, Ludovicus Peres Diva Therèsa frater, Bernardus centurio Genuensis, amplissimum gradum apud Dotiam olim meritus, Jacobus Ratua Flander, ut taceam Gusmanos, Riberas, Rocas, Bracamontios, Mantiques, Aguilarios, Lucarios, Ajolas, Iralas, & alios nobiles adeò notabili numero, ut duo & triginta domorum illustrium, dominiorumque hæredes (Majoras Hispani vocant) in eâ classe censerentur. Hi omnes anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto Gadibus solventes, ubi æquatoriem secuere, ab se invicem tempestate distracti in varias partes delati sunt. Didacus Mendoça Prætoris frater recto itinere cum paucis navibus pacato jam mari ad flumen Argenteum cursum feliciter dexit. Prætor cum reliquis ad Brasiliæ portum Januatiensem se contulit, ubi dum ventos præstolaretur, Joannem Oforium legatum suum ob comitatem & animi robur invidiæ obnoxium; ambitionis temerè insimulatum, quod insinuasse diceretur brevi rei summam ad se derivandari, non auditâ causâ, pugionibus confodi jussit; tantâ plerorumque indignatione ut idcirco multi in Brasiliâ remanserint, & alii de deserendo duce consiliâ costrulerint; sed antequam defectio penitus coalesceret, Prætor è Brasiliâ quanto- ciùs solvens non diu post Didaco Mendoçam in fluminis Argentei ostio naves planarum carinarum ad usum transvadationis fabricanti se iungit, qui auditâ Oforii nece dixisse fertur, vereri se, ne acerbum fratris facinus totius classis infortunio plesteretur.

PRÆTOR reunitis viribus classem promoveri, & ad alteram fluminis Argentei ripam transmitti iubet, in quam omnium primus cùm insiluisse Sanchius del Campo Prætoris cognatus, sociis excensionem suadens, commendatâ bonitate aëris, occasionem dedit arcem quinquaginta ab ostio leucis, & trigesimo ferme quinto altitudinis Australis gradu, Bonæ spē promontorio ex paralelo obversam, statim ibi condīceptam, Boni-aëris nomine sub Beata Virginis turcâ nuncupandi. Sed fabricam arcis urgentibus indigenæ insurgunt, aliquot Hispanos ex insidiis maestant, reliquos, ne vallo exeant, incursionibus terrent. Quibus rebus permotus Prætor, Didacum Mendoçam fratrem ad reprimendam inhospitalē gentem cum quantâ vellet militum manu amandat. Is trecentis peditibus, & aliquot ex primâ nobilitate equitibus secum assumptis, expeditione suscepit, postridiè quam discesserat, eò pervenit, ubi ingens palus extremâ sui parte rivum efficiebat; in cuius alterâ ripâ, tria circiter Barbarorum millia in pugnam se explicuerant. Coacto belli consilio plerique autumabant expectandum hostem facile & tutò in transvadatione opprimendum. Sed Didacus Mendoça statim invadendum censuit, jussitque explorato vado pedites transvadare; in quos Barbari tantâ celeritate irruperunt, ut nec sclopeta aquis corrupta explodere, nec ex arte pugnare Hispanis spatium datum sit. Barbarorum tamen magna clades facta est, donec Bartholomaeus Bracamontius, & Parafernus Ribera peditum ductores, numero oppresi-

Paraqua-
rium colo-
niam ducit.

Fluminis
Argentei no-
menis origo.

Nobilitas
primorum
Paraquaria
colonorum.

1535.

Joannes
Oforius in-
consulē ne-
catur.

CAPUT
VIL
Arx Boni
aëris funda-
tur & infi-
liciter cum
Barbaris
pugnatur.

Portus Boni
aëris nomi-
nus origo.

Nobilium
Hispano-
rum cades.

caderent: occisis plerisque peditibus, pauci equites in confertissimos irruere auſi, deridiculō Barbaris fuērē; nam ēqui ex recenti navigatione flaccidi & enerves, frānorū ex longa disfluctudine impatientes, rigidā cervice immotus equires telis hostium exponebant; quo circa seſſores nullo negotio fugati deturbatique ſunt. Inter primos Joannes Manriques eques nobilissimus obtruncatur, obtruncatorem Didacū Mendoça dum lanceā transadigit, ipſe lapide missili & Barbarorum concursū, nequicquam protegente Ramiro Gusmano, proſternitur. Occiso duce fit fuga, Barbaris interim pro more gentis cadaverum capita obtruncantibus, & diu capillis jactata circumlataque inſolenter ostentantibus. In fuga & pugna universim ducenti & viginti-quinque Hispani, ingens pro paucitate numerus, defiderati ſunt. Luca-nus eques vulneribus conſoſsus, ignobili fluvio, in cujus littore fugiens occidit, no-men ſuum, perleverante adhuc famā, dedit. Narrant multos Oſoriana necis complices eā in pugnā cecidiſſe. Ut ſcias quo fatō iis pereundum, qui violenta machi-nantur. Accepto cladiſ nuncio, mirum quantum Prætor fratriſ & tot nobilium vi-rorum neci indoluerit: dolorem auxit funesta mors Medrano equiti nobilissimo in vindictam (ut ſuſpicio eſt) Oſoriana etiam cædis in ipſa arce ſine indicio parti-cide illata.

*Didacus
Mendoça
trucidatur.*

*Medrano fu-
neſta mori.*

CAPUT
VIII.
*Novi colo-ni fame ve-xantur. &
Petrus Men-doça Prætor
moriuntur.*

*Maldonata
leana obſte-
gicatur.*

*Feri exponi-
tur.*

*Ab leana li-
beratur.*

*Judiciorum
feveritas.*

Arx Corpo-ris Chriſti.

*Mors Petri
Mendoça
Prætoris.*

Has clades, consumptō adveſtitio comœtuſ, ſequuta famē adeò foeda, ut humanis cadaveribus & nefandis rebus multi vitam luſtentarent: repertus qui fratriſ demortui viſcera comedere, & patibularia cadavera ad uſque oſſa roderet: nam extra vallum progredi Barbarorum atrocitas, ferarum metus, & ducum ſevera leges neminem ſinebant. Inventa tamen mulier eſt, quæ animo reputans famis incommoda, maluit ſe Barbarorum ferarumque periculo committere, quam lena rabie torqueri: quapropter clam omnibus abiens, per campos diu vagata, tandem ſub noctem in antrum ſuccellit, ubi cum leana parturientem inveniſſet, reno-vato antiquitatis exemplo, obſetricari eſt aula, non ſine ſuo commodo: nam le-a na feritatis oblita quotidianam prædam ſuis catulis & ſuā obſetrici ex æquo couſque permifit, donec illa in Barbarorum manus incident, poſt variam fortu-nam, ab Hispanis redempta, poſtliminio arci reſtitueretur. Ob fugam vero teme-ritatis & inobſequii accuſata, inaudito ſeveritatis exemplo in pñam extra vallum feris expoſita eſt: periſſetque niſi Dei beneficio leana, quam in partu iuverat, in-ter ſocias prima adventaſſet & contra cæterarum rabiem innocentem obſetricem deſendisſet. Quā re perpeſtā, ne crudeliores feris homines viderentur, ſoluta abſolutaque eſt; & Maldonata (nam id ei nomen erat) teſtis luculentiffima rei probatiſſi-mæ ſuis caſib⁹ diu ſupervixit. Quis tantæ ſeveritatis judex fuerit, abſente tantisper Prætore, incertum eſt. Certum tamen adeò ſeveras tum fuſſe leges, ut lactucae furtum miles auribus luerit, & alter ob ſubreptum oīis infamia deformatus fit. Vigente adhuc apud novos colonos Europæorum judiciorum integritate: que utinam in posteris perleveraret ad vindictam magnorum ſcelerum impunitate paſſim ſeſe corroborantium. Prætor acerbitate rerum exanimatus, cùm de Gavoti ar-gento, de terrarum adiacentium conditione, de ſpe fundandarum urbium per ſe & milites ſuos quaquaverum miſſos quæſiſſet, & omnia minora votis apparetent, fulcepta expeditionis pertæſſus, conſtructa in Tymbuſitorum ſinibus Corporis Chriſti arce, & Moſquerā cum ſociis ex Brasilia ſinibus in colonorum numerum recepto, raptim armari navim iubet: conſtitutoqua in Boni aëris præfectum Fran-ſiſco Ruiſio, & qui ſui Prætoris vices gereret Joanne Oiola Guipuscoensi, ſoluit in Europam. Verūm incomodissimā navigatione uſus, conſumpto exiguo comœtuſ, ad ſordidas eſcas redactus, ex fæta canis comeſtā carne in furorem cum aliquor comitibus aetus miſerum in modum expiravit. Fama eſt plures ex hiſ, quos ſecum Petrus Mendoça in hanc expeditionem traxerat, ſub Borbonio in obſi-dione Romana meruiffe; unde reduces pudore odiosæ militiæ in hanc Americae partem navigaffe, & ideo plerosque iram Dei meruiffe.

CAPUT